

P R E S E N T A T I O

R. mus P. Generalis Leonardus Buijs b. m. decreto supra relato, quo *duplicem seriem commentariorum historicorum Congregationis nostrae insituit*, eorum quoque indolem et finem breviter indixit. De eadem indole et fine liceat nunc sociis redactionis in initio huius primi fasciculi SPICILEGII HISTORICI CSSR. accuratius disserere.

Ad indolem quod attinet, haec ex ipsa definitione elucet, qua hi duplices commentarii « historici » vocantur. Agitur de historia Congregationis nostrae, sensu quidem latiore, quo comprehenduntur eiusdem origo et per spatium temporis locorumque propagatio; eiusdem inter populos catholicos et paganos missio ac ministerium apostolicum; eiusdem interna constitutio, canonica et ascetica, vel si mavis, tum historica descriptio Regularum, Capitulorum generalium et Constitutionum ab eisdem conditarum, tum expositio indolis Instituti magis intimae seu eiusdem spiritualitatis, ut hodie dicere placet. Comprehenditur quoque historica indagatio vitae et operae, imprimis Patris et Fundatoris nostri, s. Alfonsi de Ligorio et ceterorum Instituti alumnorum insignium, quotquot de eiusdem externa vel interna evolutione magis meruerunt. Nec excluditur expositio et studium personarum exterarum ac circumstantiarum temporum et locorum, quo melius in apricum collocari possit quidquid historiae et formationi Instituti nostri vario modo contribuerit.

Exclusis, ut facile patet, expositionibus *mere* theologicis vel philosophicis, admittuntur tamen historicae indagationes et studia circa fontes, statum et formationem idearum ac doctrinarum, quae in sociis Congregationis nostrae observari possunt, et in eorum agendi vel scribendi modum influxerunt. Excluduntur etiam, ordinarie, ea omnia quae magis ad historiam singularum domorum et provinciarum pertinent, nisi sub aliquo generaliori respectu notatu digna esse videantur.

Itaque socii redactionis commentariorum nostrorum historicorum imprimis cordi habebunt editionem fontium, qui ad historiam Instituti, sensu largiore mox exposito, contribuere possunt; favebunt studia de variis quæsitionibus et personis quae nosse nostra interesse potest; congerent notitias historicas minores, et chronicæ seu recentiores; proponent librorum indicationes qui materias historicas tractant sive de nostra Congregatione, sive de rebus affinibus; uno verbo current ea omnia quae in commentariis histo-

ricis similis generis tractari et praesentari solent. Vix recordari debemus, primam legem cui fideliter adstringimur, hanc esse: veritatem obiectivam, historicam, methodo scientifica, indagare et praesentare.

Uti iam R. mus innuit, publicationes historicae, curae sociorum redactionis commendatae, duplarem seriem constituent, quarum prima naturam potius folii periodici induet, ac — primo saltem tempore — bis in anno prodibit; altera destinatur laboribus maioris molis et formam librorum habebit qui sine stricta temporis determinatione exibunt, puta prout prompti erunt. Prima series, periodica, SPICILEGIUM HISTORICUM CSSR., altera BIBLIOTHECA HISTORICA CSSR. inscribitur.

Porro folium periodicum ordinarie has continebit rubricas:

- I. *Documenta* (id est fontes, sive inediti, sive editi, sed difficulter accessibles, vel aut non integre, aut methodo non scientifica publicati).
- II. *Studia* (id est lucubrationes magis serias et ampliores, quin tamen verum librum seu opusculum constituant; evitabuntur quoque continuationes per varios fasciculos protrahendae).
- III. *Communicationes* (id est, notitiae minores, seu brevissimae).
- IV. *Notitiae chronicales* (de factis scilicet vel rebus recentibus, quae ad historiam Congregationis attinent; de defunctis fratribus qui in studiis nostris historicis elucebant; et de similibus).
- V. *Notitiae bibliographicae* (quibus dabuntur indicationes breves, seu summariae, vel etiam longiores quae dicuntur « recensiones »).

BIBLIOTHECA vero, ut dictum est, constabit singulis voluminibus, ordinarie unius argumenti, quibus vel documenta seu fontes maioris momenti eduntur, vel studia amplioris ambitus publicantur.

His itaque de natura et dispositione commentariorum historicorum nostrorum breviter dictis, permittatur nobis pauca quoque verba adiungere de origine earundem publicationum.

Cum anno 1947 in omnibus nostris provinciis « vocales » seu socii superiorum provincialium pro Capitulo generali eligerentur, in provincia hollandica hoc successit: electus fuit tamquam socius Patris Provincialis RP. Buijs, cui — ut moris esse solet — multi fratres varia panderent desideria; inter hos fuit etiam RP. Sampers, qui attentionem Patris Capitularis in hanc rem dirigere conabatur: Romae — dixit — in lucem eduntur *Analecta Congregationis SS. Redemptoris*, sex fasciculis annuis, quibus acta officialia, notitiae generales et chronicales, elogia defunctorum, notitiae de libris a nostris editis, nec raro, etiam documenta vel notitiae quae historiam Congregationis respiciunt, publicari solent; dividatur — ita proposit — materia singularum fasciculorum in tres partes, quarum prima continuet praesentare res officiales aliasque solitas; altera dedicetur studiis

de sacra theologia morali; tertia destinetur studiis de historia Instituti; si circumstantiae faveant, tres inde nascerentur publicationes periodicae distinctae. Romae vero P. Buijs Superior generalis electus est, qui postea P.em Sampers in Urbem vocavit, ut bibliothecae generali, et, his ultimis annis, archivio quoque generali praeesset. Capitulum autem, ut ex eiusdem Actis patet, desiderium expressit, ut condenseretur Romae periodica publicatio ad theologiam moralem et pastoralem potius tractandam, habita quoque ratione *Academiae alfonsianae*, item Romae erigendae, ita ut studia in dicta Academia fovenda, proprio periodico publicarentur. Nec omisit Capitulum rogare Superiorem generalem ut, pro sua prudentia, curaret, opportuniori modo, editionem documentorum historicorum maioris momenti (cfr. *Acta integra Capituli anni 1947*, nn. 1639, 1658, pp. 24, 45).

Hieme sequenti RP. Gregorio (prov. neapolitanae), de studiis historicos nostri Instituti iam bene meritus, ex sua parte R.mo P.i Generali proposuit fundationem folii periodici cui nomen esset *Alfonsianum*, in quo colligerentur studia et documenta circa historiam nostrae Congregationis, circa Fundatorem et circa Patres insigniores.

Interim vero R.mus P. Generalis Romam convocaverat primum Instituti nostri Congressum historicum (*Analecta* 20 [1948] 6, 51 ss.), in quo, inter alia multa, etiam plures de publicationibus historicis dictum fuit; proponebatur, modo generico, ut ederetur duplex series: textuum seu documentorum, et studiorum, quae temporibus liberis, id est, prout prompta essent, typis publicarentur.

Nec defuerunt, annis Congressum historicum sequentibus, crebra colloquia inter R.mum Patrem et varios Instituti socios de meliore modo historicas nostras elucubrationes fovendi atque edendi. Haec colloquia conclu-debantur certis propositionibus, a RP.e Sampers exaratis, et a P.e Generali in linea principii, ut dicitur, acceptis. Sic demum R.mus Superior generalis die 31 martii anni 1952, considentibus Consultoribus generalibus, mentem suam de condendis publicationibus historicis nostri Instituti pandere potuit, ac plenum consecutus est consensum. Propositiones P.is Sampers, adhuc meliore forma redactae, sequentibus mensibus eiusdem anni 1952 cum variis Patribus, in re historica versatis, communicabantur, qui de iudicio consilioque rogati sunt. Dum idem P. Sampers, non sine continuis consiliis et colloquiis, iam in congerendis articulis pro primo numero Collectaneorum sudaret, tamquam caput socrorum redactionis proponebatur Pl. RP. Zettl, in re historica Doctor. Is vero, cum esset Consultor generalis, nimio videbatur occupatus labore, ita ut P. Generalis de alio moderatore cogitare coepisset. Sic demum mense octobri 1952 vertente, RP. Löw (prov. austriaca), qui iam per 17 annos in Sectione historica S. Rituum Congregationis operam suam navavit, ad hoc munus deputatus est. Denique leges quibus

opus redactionis appeteretur, a P.e Generali approbatae sunt, et, iteratis consiliis et colloquiis, decretum de condendis publicationibus historicis Congregationis nostrae exivit.

Sic nobis non restat nisi ut formulemus votum quod Commentarii historici nostrae Congregationis, sub signo oboedientiae incipientes, divina fave nte benedictione, id assequentur, ut progrediente historica cognitione Instituti nostri, crescat eiusdem amor, firmetur eiusdem vita interior, fecundetur eiusdem actuositas externa, quo aptius evadat missionem suam exemplendi, scilicet opus Redemptoris perpetuandi, inter ipsos fratres Congregationis, et, per ipsos, in mundo.

SOCII REDACTIONIS